

Wd  
979



32, 71

Wd  
979

# FAR TENUE CUM MICA SALIENTE

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO

# FRIDERICO,

Gotha

Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium,  
Angariae & Guestphaliae DUCI,  
Landgravio Thuringiae, Marchioni  
Misniae, Principali Dignitate Comiti Hennebergae,  
Comiti Marcae & Ravensbergae, Dynastae  
Ravensteinii & Tonnae,

PRINCIPI AC NUTRITORI SUO CLE-  
MENTISSIMO,

sub ipsa

quibuscunque desideratissimi et exoptatissimi Nominalis  
ipfis Non. Mart. Aerae errantis MDCCXVI.  
auspicatissimo fidere recurrentis  
solemnitate,

## ORATIONE PEDESTRI

&  
Gratulationis de incolumitate,  
&

Munificentiae in Gymnasii Collegium novellae

NUNCIA,  
coram

Spectatissima Primatum, Optimatum, Procerum, Mæcenatum,  
panegyri,

in  
Auditorio Gymnasii Altenburgensis primario  
RECITATA,

exquisitissimo, quo par est, devotionis, pietatisque & submissionis humillimae cultu  
immolatum

à  
M. JOHANNE CHRISTIANO Stern, Jll. Gymn. Con-R.

ALTENBURGI, Exscript Jo. Ludov. Richter. Ducal. Typogr.



1, 89/8



HAER TENUE CUM MICA  
SALIENTE  
SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO

# FRIEDERICUS

Saxonie, Juliaci, Clivise ac Montiani,  
Aragone & Castellane DUCI  
Landgravo Thuringie, Marchioni  
Illine Principalis Dignitate Comitum Jannbergae  
Comiti Marce & Ravensbergae, Dynastae  
Ravensbergii & Tongae  
PRINCIPI AC PATRI SUO CLE-  
MENTISSIMO,

lib. ipi  
libusque delectatione et exoptatissimi Nominis  
Ips. No. 1. hinc. Ar. crant. 1800. XVI.  
supplicatissimo libere recurrens  
Gloriam

## ORATIONE PDESTRI

Gratulationis de incoluntate  
&  
Modestatis in Gymnasii Collegium novelle  
MUNDA  
coram  
Spectatissimo Principum Optimum Procurrem, Alescratum,  
pategit  
in  
Auditorio Gymnasii Alchiburgensis primario  
RECTATA  
exhibendum, quo par sit devotiois pietatis & lib. humanitatis cultu  
innotuam

M. JOHANNES CHRISTIANO ERAT. Ill. Gymn. Con. R.

ALTBURGEL, Erstedt, Jo. Ludov. Richter, Local Typogr.





Temmate Semideum, PRINCEPS CELSISSI-  
ME, crete,  
SILMMUM Saxoniae DUX atque DYNASTA  
SERENE,  
Arbiter Indulgens, patriae PATER OPTUME  
terræ,

Gratia quem celebrat decantatissima mundo,  
PRINCIPIS atque loco Clementis CONCIO præfens,  
Purpura quam Proceres reddit, quam gloria Divos.

Concedas veniam tenuissima metra canenti

[Absentis tanquam præfentis Numina posco]

Plectro Mæonidis, Divi dum fulgura vultus

Cimmeriæ tentant tenebræ lustrare Serena;

Ast tua perraræ virtutis gratia traxit

Invitam grata placiti dulcedine mentem.

Mygdonios census, Phrygiæ vel munera pingvis

Haudferimus; vires minimæ sed qualia spondent.

Audet prægnantes pietas depromere plausus

Causas communis, præfenti luce parati.

Est hæc ipsa dies albo signanda lapillo,

Quam tulit auricomis matuta novata capillis,

Inclyta FRIDRICUM, quo non celebratior ullus,

Dum vehit aurato Præcelsum fama cadurco.

Salve læta dies, onomasmatis atque Sereni.

Conscia, lætitiæ tacito sub pectore messem

Fœcundam reparans celebris cultoribus Hæmi.

Mensis, quo tanti redeunt Solennia Festi,

Ro-

Romulidum genio vocitatur nomine Martis  
Martius, ut, cuius constanti percitus oestro,  
Proderet auctorem factis super æthera notum  
Mentis magnanimæ, sævos quæ despicit hostes:  
Nos insignimus FRIDRICI nomine festum  
Pacificum mensem, quia secula pacis amata  
Aurea cum plaufu peperit, nunc parta tuetur.  
Ceu Quintilis erat, qui postea Julius audit,  
AUGUSTUSQ. cluet Sextilis nomine dictus:  
Martius hinc nobis pariter FRIDRICIUS esto,  
Annon paciferæ prostant documenta quietis,  
Splendida conspicias seu nostra sacrarum cultus  
Divini, publicas urbis seu candidus ædes?  
Quis satis eloquitur, vel Suadæ flumine tinctus  
Flexanimæ largo, concessæ commoda pacis  
Principis omnimodo FRIDRICI munere tanti,  
Qui velut ille Deus nobis hæc otia fecit?  
Clades post multas Tyrus illa renata quievit  
Romanæ placida sub mansuetudine gentis;  
Cognoscit, quoniam FRIDRICI tegmine nostrum  
Pax Præneste fovet, tutelæ regna quietæ.  
Hinc nunc pacificus mensis, non bellicus ultra,  
Nostris dicatur terris urbique vetustæ  
Consensu veri [præfiscine dico!] meretur,  
Halcyones mites Thetidos sic murmura sedant,  
Non poterunt turbare bicornia monstra Getarum,  
Nulla quibus toto gens est truculentior orbe.  
Sumebant quondam primordia fausta Quirites  
Hujus ab auspicio mensis feliciter anni.  
Quid? quod et Astronomi, quorum solertia major,  
Illud principium physico moderamine servant.  
Monstrat Zodiaci, quem dicunt, Signifer Orbis,  
E signis Aries veniat quod in ordine primus.  
Martius ast solus sibi vindicat huncce choragu m  
Astrorum, cuius cancellos Cynthus intra

De-

Decursus repetit, converſis retro quadrigis.  
Annon dictorum veſtigia preſſa legamus,  
Principis ut noſtri feſtivo lampada ritu  
Nominis accenſam nos demiremur ovantes?  
Martius exiſtat velut inter Luna minores  
Ignes præcipuus menſis, qui perpete reddat  
Augurium felix redeuntis fidere curſus,  
Tempora qui facili fluxu ventura ſecundet,  
Qui ſuperimponat colophonem quemlibet annis,  
Luſtraque lætifico ſucceſſus ſine coronet.

Nunc propiore gradu Phœbus contingereterras  
Aſſolet Arctœas magis ad ſublimia nitens,  
Colluſtrare ſuo flammanti lumine tractus  
Gaudet hyperboreos lucem miſſurus & æſtum,  
Quos Auſtro præſens Aquiloni demperat abſens:  
Titanis noſter Princeps imitatur honorem  
Et ſplendore ſuo, quin & refovente calore.  
Brumæ quis gelidæ potuiſſet ferre rigorem,  
Si Morbona ſuis [ſtupido mihi frigidus horror  
Membra quatit, gelidusque coit formidine ſangvis]  
Ut contendebat, valuiffet tollere telis?  
Aſt, ut reſtituit virtus reparata ſalutis  
Corporis exhaustas vires vegetumque vigorem  
[Perpetuos pro quo Summo cantabimus hymnos]  
Reddidit hunc Solem millena luce coruſcum.  
Nuncque novos radios immittit finibus hujus  
Dulcis, quam colimus, patriæ, dum fidere pronò  
Nominis illa dies exoptatiſſima luxit,  
Plauſibus & ternis telluris pulſibus apta.  
Inde dies nobis majoribus auctibus ibunt,  
Influxuque ſuo pellent recreante tremorem,  
Climata ſolantes Septem ſubjecta trioni.

Inſuper optati ſiſtit præludia veris  
Martius, acceptus ſudi præcurſor amoeni,

C

Qui

Qui quasi dulcifona modulari voce videtur:  
Solvitur acris hyems minuunt & frigora lenes  
Hesperiaë Zephyri, blando reficitque susurro  
Auster, amans medium Phaëthontis flamine cursum,  
Omnia ridebunt, & formosissimus annus  
Nostris quamprimum Boreæ florebit in oris.  
Prataque cum campis viridanti tegmine nostros  
Tunc pascent oculos, variis concentibus oscen  
Aëra mulcebit, ramis juvenilibus omnis  
Arbos parturiet, sic tandem redditur ætas.  
Sic rerum genitrix solemnia festa diei  
Nominis exhilarat FRIDRICI, divite censu  
Largam suppeditans lætandi plenius ansam  
Multiplicat tacito dulcissima júbila sensu.

Dotibus Ipsæ suis longe viridaria vincit  
FRIDRICVS Princeps verna jucundior hora.  
Instantis liceat prævertere mente lepores  
Veris præfagâ, quorum spe subsilit omnis  
Pectore lætanti rurisque colonus et horti.  
Exprimit in cives clemens propensio Solis  
Naturam, quasvis hyemes & frigora mutans,  
Dum lenis spirat facilis moderaminis aura,  
Langvida suscipiunt nativum membra calorem.  
Annua continuo productæ stamina vitæ  
Chloridos & reliquæ, ceu veris primula, reddunt  
Spem valde gratam venturæ fœnore multo.  
Mentis submissæ, non Majestate superbæ,  
Perpetuum studium violam præsentat in imis  
Vallibus enatam, non ambitiosa sequentem,  
Cœlos cæruleo superos imitante colore.  
Relligiosa Dei cultu veneratio sancto,  
Atque precum ratio vere devota piarum  
Viva solsequium depingit imagine mirum,  
Fixis justitiæ Solem dum spectat ocellis:

Et quoties celebrat vocis modulamine Numen,  
Æmulus existit, Jovam quæ laudat, alaudæ.  
Lilia mixta rosis compingit adorea nexu,  
Candidus innocuæ quando spiramine vitæ  
Sanguinæque necis fragrat rubicundus amicus.  
Rutaque perpetuo virtutum flore virefcens  
Exhibet assidui tempe vernantia veris.

O ver jucundum, quo non jucundius ullum,  
O præclara dies albo signanda lapillo!  
Non tempestat placidæ, quam nomine major  
Saxoniz PATRIS patriæ splendore SERENI.

Hoc non una quidem pietatis regula poscit  
Officium, quo nos mens subjectissima stringit;  
Sed cum Smyrna minus possit, nec Mantua laurus  
Prodere, summa sequor tantum fastigia rerum.  
Vix tantum cytisi progignent pascua dulcis,  
Quanta Ducis nostri referunt monumenta Camoænæ.  
Fragrantes quare succendo cordis odores  
Pro tanto Musas in nostras munere laudis,  
Quo delectatur Rhodani potator Iberque.

Est referenda loco sublimis gratia primo,  
Pieridum facili Princeps si gaudet amore.  
His etenim multis, ortus quos Numina fecit  
Præcellus generis, Tyrio qui murice fulgent,  
Sunt apinæ, tricæ, vel, si quid vilius alga.  
Principis ast quoties Musarum castra secutos  
Altior irradiat virtus, dignata favore;  
Tunc majora capit studii conamina Pallas.  
Sicut enim cœli facies propensa benigni  
Commoda graminibus fert incrementa tenellis;  
Sic PATRIS PATRIÆ cultu, quas æquus amavit  
Thymbraeus, trudunt melius sua germina plantæ.  
Inde patet ratio, cur tanta frequentia gentis  
Aufoniæ fama notæ volitante per orbem  
Floruerit, lectæ cum pacis cultor & auctor  
Flecteret Augustus tranquillas orbis habenas.

D

Indu-

Induperator enim virtutis amafius ipse  
Palladiæ solers, Mæcenas atque Minister  
Ipsemet ut Cæsar, Flacco tulit atque Maroni  
Æstimmii palmas, satyræ ceu linea lusit:

**Hic inter lacrymas sedet & suspiria Cæsar!**

Hinc Vates etiam cecinit non falsa locutus:

**Sint Mæcenates non deerunt, Flacce, Ma-  
rones.**

Indelicet docili lippis quoque cernere pacto,  
Et norunt omnes, qui nondum ære lavantur,  
Quale malum Princeps studiis det Apollinis osor,  
Id quod abunde nepos confirmat, Apostata, Chlori.  
Hinc, ut Scripturæ spondent oracula Sacræ,  
Quod Princeps, chari Jovæ, nutritor & altor  
Dicatur populi lactans largissimus atque;  
Cecropiæ parili fuerit ratione cohortis  
Princeps, constituit quem summum Numen, alumnus.

Europæ prælustre jubar, Celsissimus orbis  
Heros Saxonici, Stator, Sator optimus artis  
Pieriæ, Magnus FRIDRICUS, prompsit eundem  
Clementem Musis Altenburgensibus æstum.  
Municipis nostro prospexit sumptibus usque,  
Qui sustentarunt constanti flore, Lyceo.  
Reddidit inde viros Trojani more caballi,  
Munia quos pridem celebrare Forique Chorique.  
Gratia perpetuo recreavit summa docentes,  
Gratia curavit studiosam summa catervam.  
Principis indulgens nondum clementia cessat,  
Crescit, & insignis capit incrementa favoris.  
Gymnasia celebris posthac encomia confert  
In Musis sacrum delubrum, Præsede Jova,  
Plisiaci surgent sic ardua culmina Pindi,  
Multo cum fructu discet studiosa juventus,  
Quæ quo succedant feliciter, adsit Achates.  
Prosperet & quævis conamine coepta secundo.

Unanimi quare lætantes ore fatemur,  
 Perpetuas merito laudes debere Ducalis  
 Muneris elogio cunctos depromere cives.  
 Humani Princeps omnino jure meretur  
 Delicium generis dici, sic audiat idem  
 Gymnasii Phœbo sacri mellita voluptas;  
 Utraque percepit delectamenta subinde,  
 Princeps dum tantus lactavit, patria tellus.  
 Quid? quod sollicitas fas est persolvere grates  
 Pectore, pergratæ fument altaria mentis  
 Panchæo famæ spatiosas thure per auras,  
 Ævo quod fero capiant oblivia nunquam.  
 Et quia cum Clarii Musas profitente Palæstra  
 Penforum quatuor nunc ultra lustra peregi,  
 Collegæ functus mandato munere juncti  
 [Difficilem quamvis vix dignus reddere spartam]  
 Clementem porro submisso corde favorem  
 Expeto, non meritis, PRINCEPS Celsissime, supplex,  
 Memnonios humeris, possim sufferre labores,  
 Sisyphiumque gravi provolvere pondere faxum,  
 Et tolerare sitim ceu Tantalus alter anhelam,  
 Pulverulenta scholæ quam reddunt pulpita duræ.

At quid sollicitat querulæ trepidatio Musæ,  
 Annon sic legis epicorum gaudia verbis  
 Decantata prius nimium turbare videtur?  
 Absit; sed potius gratæ molimine mentis  
 Munera munifici deprædico PRINCIPIS, ætas  
 Postera quæ ducet seris dignissima fastis.  
 Nam tua solerti prudens indagine virtus,  
 Ævi grande decus, DUX & Celsissime PRINCEPS,  
 Vidit quam sterilis miserandis campus aretur  
 Pro tam fœcunda glomerati melle laboris.  
 Hinc Mæcenatum, quorum vox pondere præstat,  
 Magnifici verò præprimis Præfulis ore  
 Sufficiente vicem, nutus consensit amicus  
 Augendo tenuem, patriæ PATER optume, censum.

Hæc

Hæc ego dum iusta trutinantis pondero lance  
Judicii, merito fervor stimulavit & ardor,  
Exigerem, quamvis non ære perennius omni,  
Hoc animi memoris fulcrum, conaminis audax,  
Nomine communi, sociant qui munera mecum.  
Insuper atque molam votorum confecro falsam,  
Et tepido saltem spumantia cymbia lacte,  
Fragrantisque loco succendo bitumina thuris,  
Quæ tua jusserunt festivæ nomina lucis:  
Ominis atque precum vel millia fundo piarum,  
Eventu majora Deus, quam carminis hujus  
Exilis poterit ratio pertendere, reddat.

Incolumis vitæ faciem florentis et amplam  
Regnum, quod vocitant, plantæ vegetabilis offert:  
Florida consimili tua regno gaudeat aula,  
PRINCEPS, & vegeti ferat arva viroris amena.  
Et sicut triplex præbet documenta character  
Veris perpetui, si luxuriabitur arbos  
Proventu, qualem foliorum copia præstat,  
Florum depingit locuples & lata supellex,  
Denique commendant, quos expectavimus ante,  
Fructus naturæ variantis dote venusti:  
Ternio non alia ratione facerrimus ille  
Exhilaret patriæ sublimia tecta PARENTIS.  
Quot frondet foliis ramus felicitis olivæ,  
(Quam veteres signum pacis statuere verendæ)  
Tot quoque pacificæ comitentur commoda fortis  
Stemma Ducale tuum sceptri regimenque decori,  
Sic TE FRIDRICI celebrabit nomen & omen  
Secula per ventura, velut jam tempore lapsò  
Delphica quot foliis florescunt germina laurus  
(Quæ Majestatis gestarunt symbola quondam)  
Tot tua succrescat TE, tanto PRINCIPE, digna  
Gloria perpetuo faustis successibus aucta.  
Arbos & quanto numero foliata superbit,  
(Qua designarunt victricis præmia palma)

TE

TE totidem maneant acti pietate triumpho,  
 Prælia quando stygis pravus fabricatur Alastor.  
 Quamque diu persistant annosæ robora quercus,  
 [Secula longævi sane referunt Tithoni]  
 Tam quoque Celsa diu Profapia PRINCIPIS annet,  
 Semper odoratis foliis sit Libana cedrus.  
 Quot nemorosa cohors Dryadum numerosa per orbem  
 Æmula conservat viridanti dona smaragdo,  
 Commoda tot DOMUI crescant cumulata SERENÆ.  
     Frondes excipiunt cognato fœdere flores,  
 Qui spondent fructus præsentia quæque futuri.  
 Sollicite monstrant physicorum scripta virorum,  
 Mense quod hoc ipso protrudat amygdalus amplos  
 Et tempestivos celeri conamine flores.  
 Pacificus præsens, PRINCEPS, TIBI mensis abundet,  
 Ceu reliqui, quotquot spatiosus continet annus,  
 Largo certatim pulcrorum fœnore florum.  
 Numinis indultu CONJUX CELSISSIMA, juncta  
 Connubio, Floram virtutum lumine vincit.  
 Floribus illa TIBI porro vernantibus ornet  
 Hortos, pensilibus quos nulla Semiramis æquat,  
 Alcinousque pari similes non condidit arte.  
 Blandula dextra ferat calathis TIBI lilia plenis,  
 Purpureasque rosas casti, quo floret, amoris,  
 Quo non majori vigit Lucretia, palmam  
 Penelope dubiam faciet cui nulla pudica.  
 Decerpat violas pallentes, jungat anethum  
 Floris odorati, contextis suavibus herbis:  
 Luteola pingat semper vaccinia caltha.  
 Succrescat lætanti suaue rubens hyacinthus.  
 Floreat ætatem superans AUGUSTA Sibyllæ!  
 Sic Ducis inscripti Celsissima Nomina nostri  
 Nascentur flores, queis delectabitur orbis.  
 Sic ver perpetuum, feret et rubus asper amomum;  
 Quin et vivaces fundent cunabula flores.

Deni-

Denique continent per plurima secula fructus  
 [Quos Sanctæ Triados Numen, non præses inanis  
 Arborei foetus Pomona, paravit] amati,  
 Pignora Præcelsæ Proavorum stemmate nata  
 Significo, quibus est virtus innata Parentum.  
 Nomina FRIDRICI juvenis simul atque tenellæ  
 FRIDRICÆ duplicis portendunt omina sexus,  
 Omina dextra, minus vano fallentia lusu.  
 Hortos Hesperidum Gentilis fabula finxit,  
 Instructos multum pretiosis saltibus auro,  
 Aurea poma tulisse ferunt pro fructibus, unde  
 Hos draco Massylus, vigili servaverit auso:  
 Aurea FRIDRICI divino munere poma,  
 Quæ paradisiacis veluti nascuntur in hortis,  
 Angelicus cingat firmo tutamine coetus,  
 Herculis ut cupidi nequeant auferre rapinæ.

Curtius Ægypti tractum descripsit amœnum,  
 Qui fuit Hammonis quondam Jovis inclyta sedes:  
 Cœli temperies clementis ridet amica,  
 Blandaque tempestas vernoque simillima mundo  
 Partes percurrit totius quaslibet anni,  
 Dissimili nunquam sudore ratione salubri:  
 Dulcibus & multis passim manantibus undis  
 Dividit haud parvo numero fons arva perennis,  
 Largifluis nutrit densatas flumine sylvas.  
 Hæc quoque Saxonici sint blandimenta Ducatus  
 Oris, præcipue patriæ, lætabilis avi.  
 Mitefcant hyemes, male sanus & exulet horror,  
 Succedat recreans tellurem lenior æstas;  
 Flatibus horrifonis cessent fugiantque procellæ,  
 Omnipotens faxit, veniat ne tabida membris  
 Aëre corrupto pressis, miserandaque charis  
 Arboribusque fatisque lues, nec lethifer annus:  
 Ægra seges victum patriæ ne denegat unquam.

Præ-

Prælia Gradivi cedant tristissima Patris,  
Et Bellona suis privetur viribus atrox.  
Instar tunc Medi fluvii, Celsissime PRINCEPS,  
Omnino fueris. Nam quidquid is alluit, arvum  
Floribus eximiis vestit, non aptior herbis.

Uxori struxit Vir nobilis ille Quiritum  
Defunctæ nitido fulgentem marmore turrim,  
Scilicet eximia virtutis laude: coruscæ  
Cæciliæ Romanus Eques, dictusque Metellus,  
Quæ quasi perpetuo memoranda superstitis esset  
Machina, quam posset canus mirarier orbis.  
Quid? quod Dædalea tantaque paraverat arte,  
Ut, si quis clamans immiserit ore rotundo  
Metrica verficuli notissima verba \* Maronis:  
**Semper honos nomenque tuum laudesque**

**manebunt!**

Vocis reddiderit resonantis imago jocosa  
Oëtonis vicibus ratione vocabula viva.  
O utinam famæ miranda palatia summa  
Principis ex voto moliri parva valeret  
Rerum conditio, status atque miserrimus Iri,  
Quæ vicibus possent millenis reddere versum:

**Semper honos nomenque tuum laudesque**  
**manebunt!**

Ast, quæ fata negant, pietatis suppleat ardor,  
Exigat ille, situ regali celsius omni  
Pyramidum, perpes tantæ monumentum famæ.

**Semper honos maneat Salomonis temporis hujus,**

Pectus ob excultum toti venerabilis orbi.  
Imperii Procerum splendens insignè, Tiaras,  
Adsit honoris apex longo condignus ab ævo.  
Gens Macetùm Reges dio mac'tavit honore  
Indolis innatæ proprio dictamine mota;  
Admirata tamen cultus majoris amore  
Semper Alexandrum legitur vel nomine Magnum:

\* Ecl. V. v. 78

Tiresias fuerit, vervecum natus in arvis  
SAXONIS haud nostri fastigia maxima nocens,  
Quæ superans Ejus conscendit gloria dudum,  
Sicut lenta solent inter viburna cupressi.

**Et semper nomen maneat**, memorabile Thules  
Finibus, atque fides rutilantibus inserat astris!

**Augustus Felix**, Trajanus & Optimus audit,

**Ernestus Pius** est, Romani Cæsaris aula

Ensiser, **Augustus**, Placidi cognomine dictus.

**FRIDRICUSQ.** soli regnans Comes ille Thuringum  
Pacifici, studio pacis, cognomen habebat.

Omnia commeruit Princeps præconia noster.

Afferet unanimi consensu quilibet illud,

Sinon sit stupidus crassoque sub aëre natus.

**Et semper laudes maneant**, debile nunquam

Munus, posteritas recolant serique nepotes.

Postremum laus est Regem comitata Darium,

Mite quod ingenium, sanctum, tractabile, faulrix

Naturæ dederit raro propensio censur;

Sed fortuna tamen bonitatem sæpe subegit.

Immortale decus meliori jure beavit

**FRIDRICUM** nostrum, dicta virtute nitentem

Multiplici, cuncto constantis tempore mentis,

Dotibus & tantis æqualia facta sequentem.

Omne feret punctum, sic suffragantibus istis,

Queis meliore luto finxit præcordia Titan.

Summa sit hinc brevibus claudens, Celsissime **PRINCEPS**,

Nuncupat exclamans Pallas quæ voce sonora:

**Semper honos nomenque tuum laudesque  
manento!**

Sed dum pro modico persolvi debita censu,

Annon versuram vobis fecisse videbor?

Principis insignes meritorum laude **Ministri**,

Illustri nec non Generoso stemmate grandes,

Lumina terrarum laudanda Foroque Choroque,  
 Nobilitate, VIRI, celebres per climata mundi.  
 Altburgi nostratis CANCELLARIE, PRÆSES,  
 Primates, Consi, Cyneæ, Summiq̄ue Patroni,  
 Gymnasii cura Summi florentis Epoptæ,  
 Magnifico, Summe, Perquam, Multum, Reverendo  
 Nomine mactandi, quibus Excellentia mentis  
 Excellens peperit nomen, Venerabilis Ordo.  
 Concluse: merita titulorum laude vocandi!  
 PRINCIPIS æs voluit pietas submissa vetusto  
 Tempore contractum curtata reddere summa;  
 Æris at interea me nomina plura novelli  
 Constringunt, AUDITOR enim mihi rite colendus  
 Creditor omnis adest, qui candidus aure vaciva  
 Affectus proni dicentem parva levavit.  
 Et licet æquivalens nequeant promittere vires  
 Officium, quàm nil, perpauca rependere, præstat.  
 Indulgendo diu non inveterascere Titus  
 Atticus est passus nummorum credita pondo,  
 Usurusque minus concessit crescere multis.  
 VOS, Mæcenates, simili ratione colendi,  
 Qua generis, spartæ, meritorum, splendor honestat,  
 Debita non equidem deposcitis ulla ferenda,  
 Nedum multiplicem repetatis fœnoris usum;  
 Attamen obstringor pergrata mente, favorem  
 Persequar ut vestrum, quo devinxistis abunde  
 Aonides viles, subsellia parvaque Pimplæ.  
 Vestro subsidio, vestro tutamine, vestro  
 Musa patrocinio meliori sorte beatur.  
 VOBIS, si fatear, Commendatoribus, aucta  
 PRINCIPIS affulsit clementi gratia vultu.  
 Plurima pro tantis meritis debere fatemur  
 Ingenue, laudes facti cantare perennes.  
 Accrescant VOBIS cœlestis munera pacis

Qua

FK 979

[Qua quævis animæ faustissima fata notantur,  
Incolumis benefacta salubria corporis atque]  
Numinis auxilio, quod pacis conditor unus.  
Terrenæ pariter foveant VOS commoda nostri  
FRIDRICI, sicut constans clementia spondet.  
Sic constabit enim sententia trita valore:  
**Principibus placuisse viris non ultima laus est!**  
Hujus et auspicii felicibus usque vigescant  
Splendida successu rerum **Collegia** fausto;  
Imprimis verbi crescens Ecclesia victu.  
Denique Fautores, Collegæ, vos & Amici,  
Festivo reditu capiatis Nominis usum  
Paciferi, quanto PRINCEPS vos sæpe beavit.  
Sit tibi, Gymnastii Director, Phœbe canende,  
Testibus ingenii non paucis inclyte culti,  
Cujus nunc ductu florent Heliconis alumni,  
PRINCEPS Albanæ frondis pacalis ad instar,  
Quæ gratam Musis pacem designet & umbram!  
Sic, duce te Clario doctum claroque per orbem,  
Certatim juvenum studio conferta corona  
Artis Palladiæ de fontibus Hippocrenes  
Haustibus implebit sitientia pectora plenis.  
FRIDRICI pariter porro pax, sedula nutrix,  
Vosmet, Castalidum lectissima portio, lactet:  
Aurea subjicio renovans subscripta vetustis  
Verba typis turri Parnasi limine primo:  
**AUSPICIIS DOMINI SCHOLA FLOREAT, AUCTA  
DIURNET!**  
Sic, quæ conabar, levidensi carmine DIXI.



Q 10

X 2311392





Wd  
979

32. 17  
**FAR TENUE CUM MICA  
SALIENTE**

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,  
**DOMINO**

**FRIDERICO,**

Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium,  
Angariae & Gueſtphaliae DUCI,  
Landgravio Thuringiae, Marchioni  
Mifniae, Principali Dignitate Comiti Hennebergae,  
Comiti Marcae & Ravensbergae, Dynaſtae  
Ravenſteinii & Tonnae,

PRINCIPI AC NUTRITORI SUO CLE-  
MENTISSIMO,

ſub ipſa

ui buſcunq; deſideratiſſimi et exoptatiſſimi Nominalis  
ipſis Non. Mart. Ærae errantis MDCCXVI.  
auſpicatiſſimo ſidere recurrentis  
ſolemnitate,


**ORATIONE PEDESTRI**

&  
Gratulationis de incolumitate,  
&

Munificentiae in Gymnaſii Collegium novellae  
**NUNCIA,**

coram

ſpectatiſſima Primatum, Optimatam, Procerum, Mæcenatum,  
panegyri,



**Farbkarte #13**

**B.I.G.**

